

Quod Deus benè vertat !

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

PRIORITATE
CREDITORUM

Quam

PRESIDE DEO Ter Opt: Max:

Ex

Decreto & autoritate

*Nobilissimi atque Amplissimi Jctor. Ordinis in
celeberrima Noricorum Universitate
Aldorphina.*

Summos in utroque Jure honores & Privilegia Doctoralia promeriturus

Publicè & solenniter examinandum proponit

LAURENTIUS FRIDERICUS Strebel /
Gunzenhus. Fc.

Ad diem 4. Novembris.

Anno M. DCL I.

Typis Georgii Hagen, Universi-
tatis Typographi.

Serenissimo Principi ac Domino,

DOMINO

ALBERTO.

Marchioni Brandenburgensi, Magdeburgensi, Borussiae, Stetini, Pomeranorum, Casubiorum, Vandalorum, & in Silesia Crosnensium ac Jegerndorffensium &c.

Duci, Burggravio Norimbergensi,
Principi Halberstadenfi, &
Mündensi, &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

*Positiones has Inaugurales in subjectissima
mentis indicinam, eâ quâ debet, quâ potest hu-
militate & reverentiâ offert, se suaq; studia
commendat, consecrat, mancipat; atque pro
vitz Serenitatis ejus longeva, incolumitate
perenni, statu principatus felici, Deum*

Ter. Opt. Max. calidissimè

veneratur


LAURENTIUS FRIDERICUS Strebel.



PROOEMIUM.



*M*plus sapè homines de facultatibus
 suis, quam in his est, sperant, secundum §. 3. In-
 stit. Qui & ex quib. caus. Sic q̄. falsà opinione du-
 cti vivunt in diem, & se non raro inextricabili de-
 bitorum involvunt labyrintho. Quem dein creditorum se-
 quitur concursus, ac gravissima inter eos de prioritare conien-
 tiones. Dum quilibet, ad primum obtinendum locum, omnem
 solet movere lapidem. Insurgunt hic, ut loquitur Straccha,
 de decoct. p. ult. c. qui pot. in bon. decoct. deponentes,
 repetunt depositum. Videntes instant, petunt pannos aut
 pretia. Hypothecarij se offerunt, se preferendos ajunt. Uxor
 & Nurus dotium suarum gratiã potiores esse volunt. Qua-
 ritur, quo ordine satisfieri oporteat, quorum causa prior sit, ac
 melior? Et hisce disceptationibus ultimo atq̄. pessimo hoc seculo
 nil frequentius reperiri, quotidiana testatur experientia. Ut
 Ventura de Valent. dicere fuerit solitus, in curiis eam-
 iam familiarem esse, quàm in prandio obsonium. Opera igitur
 pretium me facturum arbitratus sum, Si ex latissimo hujus
 materia campo flosculos colligerem, & aliquas conte-
 xerem corollas. Quod ut ex voto succedat,
 te Alme DEUS ex imis sensibus
 precor!



THESIS I

Prioritas (a) est jus, quo unus creditorum (b) concurrentium (c) in solutione præfertur alteri. (d)

- (a) à comparativo prior, qui à prii. e. præ descendit, sic dicta, estq; varia, loci, temporis, dignitatis, naturæ, notitiæ. De qua nostra futura sit tractatio, intellectu facile est. Ab aliis vocatur jus præferentiæ sive prælationis, præventionis, privilegium exigendi, privilegium creditorum. Germanis *Dor, zugrecht*.
- (b) Creditoris vocabulum nos hic non in stricta significatione accipimus, quâ mutuum dans denotatur. *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. l. 3. §. 2. & l. 4. ff. de SC. Maced. & c.* neq; etiam in lata tantum, quâ omnis is, qui fidem in quovis contractu secutus alienam, ex eo quid recipere sperat. *l. 1. ff. d. reb. cred.* sed latissima, quatenus comprehendit eos etiam, quibus absq; fide contractus ex alia qualibet causa debetur *l. 11. & 12. de V. S.* veluti delicti *d. l. 12.* legati, fideicommissi, *l. 1. C. d. bon. auct. Jud.* ex quacunq; actione vel persecutione & c. *l. 10. l. 54. cum l. seq. l. 17. §. fin. de V. S. l. 42. §. 1. de O. & A. Nov. 4. c. 3. in fin.* ex quibus cum pateat, largâ hac significatione etiam Dominos rerum contineri, non inconveniens videtur dividere creditores in propriè sic dictos & impropriè: Illos rursus in hypothecarios & Chirographarios. Hypothecarii in genere sunt, qui præter personam debitoris, res quoq; ejus vel expressè vel tacitè hypothecatas, cum vel sine privilegio habent. Et subdividuntur in privilegiatos; qui cum expressâ vel tacita hypotheca, privilegio quoq; prælationis & certo respectu temporis

poris gaudent. Et Nudos seu simplices; quibus expressa vel tacita hypotheca cum solo temporis privilegio competit. Chirographarii appellantur, qui absq; hypotheca personam tantum debitoris cum vel sine privilegio personali obstrictam tenent. Suntq; etiam duplices, Privilegiati; qui privilegium exigendi habent; & nudi seu simplices; qui absq; ullo privilegio juri tantum personali inhærent. Improprie dictos creditores statuimus Dominos, rei vindicationem intendentes. Ratio in eo sita, quod res nostra, proprie loquendo, nobis non debeat, §. 1. *Inst. de act. l. 27. §. 2. l. 34. ff. de aur. & arg. leg.* nec acquirere eam denuò possimus §. 10. *Inst. de Legat. §. 14. Inst. de act. cum Dominium non nisi ex una contingat causa. l. 3. §. 4. ff. de acquir. vel amitt. poss. l. 159. d. R. I.* Dum verò ejus restitutio nobis omninò debetur, quam istâ actione persequimur *l. 9. l. 68. ff. d. R.* V. hinc conventus debitor; agens verò creditor dicali modo potest, *Dd. adpr. Inst. de act.*

(c) Omisiss rerum Dominis (qui sive concurrant cum hypothecariis, sive Chirographariis, semper primas ferunt, inter se verò quilibet in re sua potior est) Reliquorum creditorum concursus reperitur triplex. PRIMUS Hypothecariorum cum Chirographariis; SECUNDUS Hypothecariorum inter se; TERTIUS Chirographariorum cum Chirographariis. SECUNDUS iterum est vel Hypothecariorum simplicium inter se; vel simplicium & privilegiatorum; vel privilegiatorum cum privilegiatis. Chirographariorum concursus eodem modo est vel simplicium inter se; vel privilegiatorum inter se; vel simplicium cum privilegiatis.

(d) *tot. tit. ff. & C. qui pot. & ff. d. priv. cred.*

A 3

THE-



Competit autem prioritas hæc, vel ratione Domini (a) Vel ratione privilegii. (b)

(a.) (a) Dominium hic proprietatem significat. *l. 13. ff. de A. R. D.* & merito ratione ejus, primò omnium prioritatem competere tenemus. Cum Domino ullus in petitione justior non sit. *l. 31. §. 1. ff. depos. hinc suum ei ante omnes restituendum §. 3. Inst. de Just. & Jur. N. 91. c. 1.* Unde etiam Rei vindicatio actiones omnes, tam personales, quàm hypothecarias; omnia item privilegia superare dicitur. *l. 27. §. 2. ibique Goth. lit. d. ff. d. reb. aut. l. 5. §. 8. ff. d. trib. act. l. 38. pr. ff. d. pecul. & c.*

(b.) (b) Privilegium constituitur triplex. PERSONALE, ubi tantum causa in considerationem venit. Vocaturq; in jure privilegium exigendi. *l. 24. §. 1. d. reb. auct. vel simpliciter, & quidem proprie privilegium. l. 52. pr. & §. 1. ff. d. pecul. l. 17. l. 22. 23. 24. & passim. ff. d. reb. auct.* REALE, ubi tempus solummodò spectatur: quod fundatum in illa vulgari regula, Qui prior tempore, potior est jure. *l. 2. C. qui pot. dicitur aliàs privilegium temporis. l. 10. ff. d. t.* MIXTUM, ubi utrumque conjungitur, & nominatur privilegium prælationis, cum hypotheca tempore posterior, præfertur alteri, quæ est prior. Hæc ut præmitterentur necessitas efflagitare videbatur, tanquam lucem allatura tractandis. Jam propius ad rem. Creditores autem omnes, ut difficultas evitetur exemplo Imperatoris in *§. 3. Inst. d. legat. in quinque distinctas classes redigemus; de firgulis aliquid pro ingenii modulo, dextero Jehova, proposituri. I. Classis assignabitur Dominiis rerum, ex supra adducta ratione. II. Hypothecariis privilegiatis, propter duplex*

duplex vinculum, arg. §. 2. *Inst. de adopt. c. 1. x. d. treug.*
Epac. III. Hypothecariis nudis ob jus reale l. 9. C. qui pot.
l. 25. ff. de R. 7. IV. Chirographariis privilegiatis ob jus
personale. l. 3. ff. quod cum eo. l. 24. §. 2. ff. d. reb. ant. Gail.
2. O. 25. n. 9. V. Chirographariis simplicibus. Tandem
annectentur regulæ in qualibet classe observandæ.

III.

Prima classis eorum, qui omnibus aliis superio-
res & potiores sunt.

Ad primam classem referuntur ij, qui rem
suam penes debitorem existentem, ob Do-
minium non translatum repetunt, vindica-
tione vel Directâ, vel utili. Directâ: Ut com-
modator (a) Deponens (b) Mulier ratione
rei vel dotalis vel paraphernalis (c) Is cui fur-
tum factum (d) Liberi in bonis adventitiis
(e) Venditor (f) Et si qui sunt similes. (g)

(a) Commodator neque dominium rei transfert, (a)
neq; possessionem; sed usum tantum gratuitum con-
dit, sub certo modo & tempore. §. 2. *Inst. quibus mod. re-*
um l. seq. ff. commod. Hinc rei vindicatio ei concedi-
l. 9. ff. de R. V. l. 2. ff. commod. in qua re cum à mutuo
diferat, utpote in quo non possessio tantum; sed & do-
minium transit. *pr. Instit. quib. mod. re. l. 2. §. 2. ff. de R. C.*
fat. patet, in pecunia mutuo data, licet extante, cre-
dito-



ditorem nullâ prerogativâ gaudere. *Gail. 2. obs. 12. n. 1.*
& 2. Huc pertinet etiam precarium, quod perquam
simile commodato est. *l. 1. §. 3. ff. de prec. cum & in eo,*
solâ naturali possessione exceptâ, *l. 4. §. 1. l. 15. §. 4. ff. de*
prec. l. 22. §. . de noxal. act. l. 13. §. 1. d. publ. in rem. Omnia
penes concedentem remaneant. *d. l. 1. §. 3. de precar. cum*
libera quâdocunq; revocandi potestate l. 1. pr. l. 2. §. 2.
l. 15. pr. ff. d. t. Sed quid si tempore concessionis con-
ventum fuerit, ne ante certum tempus repetitio fiat,
annon potest opponi exceptio intempestivæ repetiti-
onis? *N. per d. l. 2. §. 2. l. 12. pr. ff. d. t.*

(b) Deponens quoq; tam dominium, quàm pos-
sessionem rei depositæ retinet *l. 17. §. 1. ff. de pos. seu mo-*
bilis res deponatur, seu immobilis; nam & hanc de-
poni posse docemur. l. 3. in fin. de acquir. vel amitt. poss. l. 11.
ff. d. commod. & per rei. vend. juncta l. 24. l. 1. princ. ff. de pos.
Quid verò, si apud sequestrum rei alicujus depositio
fiat? Nec sic possessionem transire statuimus. Nisi id
omittendæ possessionis causa factum esse probatum
fuerit. *l. 39. ff. de acquirend. vel amitt. poss. vel possessio liti-*
giosa deposita. l. 17. §. 1. ff. de pos. Haber autem deponens,
non observato ullo pacto *l. 1. §. 45. & 46. ff. d. t. agendi &*
depositum omni tempore per vindicationem repetē-
di l. 24. §. 2 ff. de reb. aut. l. 9. ff. de R. V. l. 1. §. 32. ff. de pos. l.
1. C. eod. liberrimam facultatem d. V. l. 1. §. 22. d. t. ita ut
infamix periculum incurrat restituere detrectans *l.*
C. eod. nec juvetur ullo beneficio vel retentionis
compensationis l. 11. C. d. t. quæ in omnibus aliis
nibus regulariter admittitur l. ult. C. d. compens. §
d. act. de eo maximè inter Dd. controversitur. An
pter impensas in rei depositæ conservationem factas,
res ista retineri possit? *Et Quod non; per allegat. l. 11. C.*
depos.

depos. *NOBILISSIMUS, AMPLISSIMUS & CONSULTISSIMUS*
DOMINUS D. LUDWELL, PATRONUS atq; PRÆCEPTOR me⁹ eta-
tem venerandus. Disp. ad Inst. II. th. 10. lit. c. Huic præroga-
 tivæ renunciâsse creditur deponens; si usuras aut ab
 initio pactus fuerit, aut ex post facto perceperit, *l. 24. §.*
2. ff. d. reb. auct. l. 7. §. 2. l. 24. l. 26. §. 1. ff. depos. An verò
 hoc modo in creditum abiisse censeatur depositum,
 magna dissensio est. Videatur modò laudatus *Excellentis-*
simus D. Ludwell in not. Wes. tit. depos. n. 5.

(c.) Quamvis maritus constante matrimonio re- (c.)
 rum dotalium Dominus sit *§. 41. Inst. d. R. D. pr. Inst. quib.*
al. l. 13. §. 2. ff. d. fund. dot. l. 9. §. 1. Sc. ff. d. jur. dot. ita ut
 vindicare *l. 9. C. d. R. V.* aliosque dominii effectus exer-
 cere illi omninò sit concessum, *l. 7. pr. ff. d. jur. dot. l. 3. C.*
eod. Uxor tamen illarum dominio privata non est, sed
 cessat tantum respectu ejus, ac quasi dormit, mortuoq;
 marito reviviscit *arg. §. 30. Inst. d. R. D. l. 30. C. d. Jur. dot.*
 ut in vindicandis iis extantibus, omnes mariti credito-
 res excludat. *d. l. 30. Nov. 91. c. 1.* bona paraphernalia uxor
 pro arbitrio in domum mariti inferre potest, vel non.:
 & illatarum constituere maritum Dominum, vel etiam
 non constituere *l. 9. §. ult. ff. d. jur. dot.* in tantum, ut nec
 administrationi se, invitâ uxore, immiscere debeat, *l. 8.*
C. d. pact. convent. si intulit, & sibi dominium reservavit,
 ea extantia, absque quorumcunq; creditorum, etiam
 ipsius fisciratione primipilaria administrationis, ob
 quam in defectu aliarum rerum etiam dos periclitatur,
l. 3. C. d. primipil. contradictione, vindicat l. 1. C. ad L. Jul.
d. vi publ. l. 1. C. d. priv. ffg. l. 2. C. ne ux. pro mar. Si vero
 dominium transtulit, vel non amplius extant, tacita
 saltem residua est hypotheca, ut infra demonstrabitur.

(d) Res furto nobis ablata in dominio nostro ad- (d.)
 B ed per-



ed permanent, ut ne longissimi quidem temporis possessione alteri acquirantur §. 2. *Inst. de Usucap. l. 10. C. de furt. &c.* sed à quovis possessore absq; restitutione pretii vindicentur §. ult. *Inst. d. oblig. qua ex del. l. 2. C. d. furt. l. 23. ff. d. R. V. Constit. crim. Carol. V. art. 209. item art. 2. 13. idè dicendum de rebus vi possessis pr. Inst. d. vi bon. rap. l. 2. §. 26. ff. d. r. §. 2. Inst. de usucap. l. 33. §. 2. ff. eod. d. art. 209. Quæritur, an statutum valeat disponens, ut res furto subtrahæa judici relinquatur? N. Dd. communiter, quo facit imprimis *allegata constitut. crim. art. 218.**

(e) Sicuti pater profectitia plenè, ita adventitia quoad usumfructum tantùm; castrensia verò vel quasi planè non acquirit §. 1. *Inst. per quas person. l. 1. 2. & t. t. C. de bon. matern. l. 6. & passim C. d. bon. qua lib.* Jure ergò Dominii liberi res suas repetunt l. 4. §. 1. *de castrens. pe. cul. l. 4. C. d. adv. div. jud. d. l. 23. de R. V.*

(f) Qui scilicet dominus remansit, (1) vel simpliciter rem tradendo, quo casu fides habita non intelligitur *arg. l. 5. §. pen. de trib. act. cum traditio hæc semper conditionem pretii soluti involvat. arg. l. 3. d. pign. act.* (2) vel dominium expressè, donec integra solutio facta, reservandò, (3) vel legem commissoriam, initio contractus, directis verbis, adjiciendo, *l. 2. 4. ult. &c. ff. d. L. commiss. l. 1. 3. 4. C. de pact. int. empt.* (4) vel rem venditam, sub conditione, in diem addicendo, *l. 1. l. 2. pr. ff. d. in diem addict.* Sic enim nulla est obligatio priusquàm conditio existat, *l. 8. pr. d. peric. & commod. l. 7. pr. d. contrah. empt.* etiamsi res tradita *l. 31. pr. de A. R. D. eadem,* ferè statuenda de eo, qui vel ante traditionem, vel in ipso traditionis actu, sibi hypothecam in re vendita constituit, *l. 5. §. 17. de tribut. act. l. 1. §. ult. cum l. seq. ff. de reb. cor. Gail. 2. obs. 15. n. 7.* illud verò quod fide habità dominiù trans-

transferatur, communiter limitant Dd. in emptore
doloso; qui jamjam tempore contractus, se non esse
solvendo sciens, fugam nequiter præcogitavit: quo ca-
su cum dolº causam habendæ fidei dederit, fides pro nõ
habita, res pro non tradita, & dominiu pro non trans-
lato censetur. *arg. d. l. 3. ff. d. pign. act. Gail d. l. 2. obs. 15. n. 8. sqq.*

(g) Enumeratis enim annumerare possemus, (1)
Debitorem pignoratitium *l. 35. §. 1. d. pign. act. l. 9. cum seq*
C. eod. l. 1. C. de non num. pec. (2) Locatorem *l. 39. ff. loc. con-*
duct. l. 9. & 23. ff. de R. V. Modò tamen hi rerum vel lo-
catarum, vel pignoratium, ipsimet domini fuerint.
Ut ut etiam non domini, nam & hos rectè pignerare
l. 9. §. 4. l. 22. §. 2. de pign. act. vel locare l. 7. l. 8. l. 15. §. 8. ff.
loc. cond. &c. notum, actione pigneratitiã § *ult. quib. mod.*
re l. 9. §. 4. l. 40. §. 2. de pign. act. vel locati l. 11. §. 3. ff. locat.
l. 25. l. 29. C. eod. agere possint. Ut illis res ipsa in specie,
vel ejus possessio, præ cæteris creditoribus, qui nihil
juris in ea prætendere valent, restituatur. Insuper et-
iam cum possidente, vel dolo possidere qui defuit *l. 9. in*
pr. & §. 1. ff. ad exhib. actione ad exhibendum licitè agüt
l. 3. §. fin. cum l. seq. ff. d. t. Hactenus dicta commodanti
quoq; *l. 15. l. 16. ff. commod. juncto §. 2. Inst. quib. mod. re. de-*
ponenti, rem alienam l. 1. §. 39. l. 31. §. 1. ff. depos. benè ap-
plicantur. Circa locationem quære libet, quid senti-
endum sit de ovibus & vaccis ferreis, *Don Eijern Röhren*
von Schöfen / quæ æstimatæ locari solent; an & ista re-
ctè vindicentur? Aff, per ea quæ habet *Carpz s. 2. const.*
37. defin. 19. circa finem additã l. 23. de R. V. An verò ista cõ-
ventio, quæ exotico vocabulo *Socida* appellatur, jure
defendi possit, gravis disceptatio est. Videri potest
Carpz, d. l. & Nobilissimus, Amplissimus atq; Excellentissi-



mus Dn D. Tabor, Patronus atq; Praceptor meus sempiterno honoris cultu prosequendus in tract. de jur. Socid. in primis c. 5.

I V.

Utilem vindicationem (a) sibi asserunt. Emphyteuta, (b) Vasallus, (c) Fructuarius, (d) Superficiarius, (e) qui actionem in rem acquisivit, (f) minor ratione rei ex sua pecunia comparata, (g) Verus Dominus adversus eum, qui ante litem dolo; (h) vel post litē contestatam culpā, possessionem amisit, (i) Item eum, qui se obtulit defensionī, (k) porro publicianā (l) vel rescissoriā (m) agens, Administrator res sacras alienatas vel obligatas, vindicans (n) & si qui reperiuntur casus plures. (o)

(a) (a) Utilis hęc vindicatio datur quibusdam non ratione utilis Domini, quod non agnoscimus cum Excellentissimo D. Ludwell D. ad Inst. 4. th. 4. lit. d. sed effectus; pro jure suo in rem defendendo, cujus juris intuitu dominorum loco habentur, licet rei ipsius veri non existant Domini; ut exempla proximē sequentia magis ostendent.

- (b) (b) l. 1. §. 1. ff. si ag. vectigal.
(c) (c) c. un in pr. ibi: reia, 2. F. 8. item 2. f. 43.
(d) (d) l. 8 pr. ff. de reb. auct.
(e) (e) l. 73. §. 1. cum duabus seqq. ff. de R. V. junctal. 16. in f. in

fin. ff. de pign. act. l. 1. §. 1. & 6 ff. de superf. l. 3. §. 3 ff. d. op. nov. nūc.

(f) Si directa ei cella vel mandata non sit, *l. ult. l. 5. C. d. hered. v. act. vend.*

(g) *l. 2 ff. quard. ex fact.*

(h) *l. 27. §. 3. l. 22. l. 68. & c. ff. de R. V. juncta l. 3. §. ult. d. al. jud. mut. dolus namq; hic pro possessione est. l. 131. 150. de R. J. c. pro possessore 36. cod. in 6.*

(i) *l. 33. 36 §. 1. 63. ff. de R. V.*

(k) *l. 7. l. 25. cum seqq. de R. V. l. 13. §. 13. ff. de pet. her. doli commissi hic pœnam luit: modò actor nesciverit, eum non possidere; vel hic pœnitentiâ ductus, ante litem contestatam non correxerit mendacium; dd. ll. dum tamen interim verus possessor suam usucapionem non adimpleverit.*

(l) Publiciana enim ad exemplum directæ vindicationis datur, *l. 35. inf. pr. de O. & A.* instar proprietatis non possessionis respicit, omniaq; in ea obtinent, quæ in directa vindicatione, *l. 7. §. 6. & 8. ff. de publ. in rē. act.*

(m) Et rescissoriam instituens rem suam esse contendit *§. 5. Inst. de act.*

(n) Res sacre atq; religiosæ licet strictè loquendo, cum nullius dominio subjectæ sint, *§. 7. & 8. Inst. de R. D. l. 6 §. 2. ff. eod.* vindicari nequeant, *arg. l. 23. pr. ff. de R. V.* ab administratore tamen illicitè alienatæ vel obligatæ rectè revocantur. *l. 21. C. d. SS Eccl.*

(o) de quibus consule *Colleg. Jur. Arg. l. 6. tit. 1. th. 16. sqq.*

Secunda classis eorum, qui simul hypothecâ & personali privilegio gaudent.

Ad hanc classem pertinent Fiscus, (a) mu-



lier quoad dotem consumptam, (b) militiæ
creditor, (c) ab hostibus redemptor, (d) Cre-
ditor ad refectionem vel conservationem
(e) Quia rem emendam mutuam dedit si
bi hypothecam reservando, (f) Pupillus in
re ex sua pecunia comparata, (g) & alii, in pri-
mis omnes, qui personale privilegium habēt
à lege, si expressam hypothecam sibi consti-
tuerent. (h)

(a) Hic ante omnia notandum, secundum Dd, com-
munē opinionē, fisci jus habere non tm. omnes Princi-
pes, ac civitates superiorē nō recognoscens; sed reco-
gnoscentes etiam, modò vel ex concessione, privilegi-
ove superioris, vel præscriptione merum & mixtum
imperium, juraq; regalia & fiscalia consecuti fuerint,
Wesemb. in w. ff. in quib. caus. pign. n. 5. dein distinctè pro-
cedendum esse quoad privilegia ejus. Nam (1) ratione
tributorum, collectarum, & aliarum exactionum pub-
licarum, gaudet & tacitā hypothecā; & privilegio præ-
lationis, adversus creditores etiam anteriores: *l. 1. C. si
propt. publ. pensit. l. 1. C. in quib. caus. pign. l. 46. § 3. ff. de jur.
fisci l. 34. de reb. auct.* In tantum, ut solutam jam dum pe-
cuniam vi sui privilegii revocet. *l. 18. § ult. ff. d. t. Vid.
Carpz. p. 1. constit. 28. defm. 47. Berlich. p. 1. concl. 64. nu. 105.
Coll. Jur. Arg. lib. 20. tit. 2. th. 7. & lib. 42. tit. 5 th. 32. n. 23.
Auth. anon. de prior. cred. c. 2. n. 2. & c. 3. n. 3. Mozzz. de pign.
col.*

col. de nat. pign. n. 57. (2) Ratione contractus fisco quoq; tacita data LL, hypotheca, l. 2. C. in quib. caus. pign. l. 2. C. de serv. pign. dat. ob quam chirographarios & personali- ter privilegiatos etiam antiquiores, ac hypothecarios posteriores vincit: priores vero non nisi in bonis post contractum cum eo initum quaeritis. l. 28. ff. de jur. fisci. in bonis enim quae jamjam habuit debitor, jure utitur. privatorum, l. 8. ff. qui pot. l. 2. C. de priv. fisci. l. 4. C. qui pot. obtinetq; vulgaris illa regula: qui prior est tempore, potior est jure c. qui prior 54. de R. J. in 6. citra ullam distinctionem, vel inter hypothecam tacitam & expressam, vel generalem & specialem. (3) ratione pænarum fiscalium aliis creditoribus cedit. l. un. C. pæn. fisc. l. 7. l. 37. ff. de jur. fisc. cum semper ille qui de damno vitando certat, favorabilior sit eo, qui de lucro captando. l. 41. § 1. ff. de R. J. Interim & in hisce hypothecâ tacitâ planè destitutus non est, veluti var è distinguendo tradit *Neguz. de pign. & hypoth. p. 2. membr. 4. n. 115. seq.*

(b) Mulierem in causa dotis creditoribus tam, privilegiatis anterioribus, quam hypothecam priorem, sed tacitam habentibus præponi, extra omnem dubitationis aleam positum est. An autem præferatur hypothecam anteriorem expressam habentibus, illud est, de quo valdè dubitatur; de quo magno inter Dd. conatu disputatur? Nobis placet ad affirmantium accedere castra, moti generalitate textuum l. ult. C. qui pot. §. 29. Inst. de act. l. 4. C. in quib. caus. l. 29. & 30. C. de jur. dot. N. 97. c. 2. Nov. 109. c. 1. legibus igitur non distinguenti- bus, nec nostrum erit distinguere. l. 8. ff. de publ. in rem act. Excellentissimus Dn. D. Ludwell. in not. ad *Wesemb. tit. qui pot. in pign. n. 3. Beuth. l. 1. c. 35.* Variè autem extendun- tur dotis privilegia, à tempore factæ promissionis inci-
pien-

piencia l. 1. pr. ff. qui pot. l. un. §. 1. C. de R. V. A. Sichard. ad
l. 12. C. qui pot. n. 32. Ut procedant.

(1) etiam in augmento dotis, N. 97, c. 3. quod secundum naturam dotis regulatur l. 6. C. de jur. dot. à die augmenti facti l. 19. ibi: jura enim hypoth. C. d. don. ant. nupt. (2) in sponsa non securis nuptiis l. 17. §. 1. ff. de reb. aut. jud. cum & aliàs sponsa pro uxore reputetur, non in favorabilibus tantum, l. 4. ff. de fund. dot. l. 5. C. de bon. qualib. sed etiam odiosis. l. 3. & 4. ff. ad L. Pomp. de parricid. (3) in matrimonio putativo l. 17. §. 1. cum l. seq. ff. de reb. auct. (4) vivente licet marito, sed ad inopiam vergente l. 24. pr. ff. solut. mat. l. 29. C. de jur. dot. (5) etiã expressã hypothecã constitutã l. 14 l. 17. ff. de pact. dot. (6) in liberis quoq; uxoris l. 12. §. 1. ff. except. C. qui pot. N. 91. pr. & §. 1. non aliis ejus heredibus l. un. C. de priv. dot. §. 29. Inst. de act. quamvis verò tam latè pateant mulierum jura, reperiuntur attenuati casus, quibus vi sua ac robore destituuntur: veluti (1) in dote cauta vel confessã & non actualiter numerata. l. 1. & tot. tit. C. de dot. caut. l. 12. §. 1. ibi si tamen re ipsa C. qui pot. quod tamen iterum suas patitur ampliaciones & restrictiones, quas cernere est apud Gail. 2. obs. 81. & Myrs. 1. obs. 61. (2) in paraphernalibus & donatione propter nuptias. Ratione quorum tacitã saltem contentã esse coguntur hypothecã l. ult. C. de pact. con. l. 29. C. de jur. dot. l. ult. §. 2. C. qui pot. Myrs. 5. obs. 4. [3] Si liberi prioris matrimonii suã matris dotem repetant. d. l. ult. §. 1. ibi: except. Nov. 91. c. 1. [4] Si mulier sit hæretica. Nov. 109. c. 1. auth. item priv. C. de hæret. & Manich. [5] Si uxor cum marito comunem negotiationem exercuerit. arg. l. 1. §. pen. de exercit. act. l. 24. pro soc. quam receptam totius ferè Germaniã consuetudinem esse testatur Gail. 2. obs.

obs. 90. n. 5. (6) Si malà mulieris administratione vir ad inopiam redactus fuerit, *Mind. de process. in cam. extrab. l. 2. c. 61. n. 14.* plures restrictiones Dd. cumulant, quas nos silentio, brevitatis studio, præterimus.

(c) Dum hic expressâ hypothecâ, in scripturam, testibus firmatam redactâ, sibi prospexerit. *N. 97. c. 4. auth. quo jur. C. h. t. Quid militia fuerit, notat Pacius in Anal. Cod. de pign. & hyp. n. 8.* officium nempe eorum, qui in aliqua schola inter statutos sunt relati, ex quo salaria & commoda quædam consequiebantur. Hodiè ejusmodi militiæ eùm in desuetudinem abierint, Dd. id privilegium attribuunt iis, qui ad adipiscendos honores equestris alicujus ordinis, sub expressâ cautione, mutuum dant, *Beuth. l. 1. c. 57.*

(d) Tam diu servum tacito pignoris nexu obligatum tenet, donec de lytro seu pretio redemptionis ipsi satisfiat, *l. 43. in fin. d. L. 1. l. 20 §. 1. ff. de testam. omnibusq; quamvis prioribus, præfertur. l. 12. §. 12. l. 15. ff. de capt. & postlim. arg. l. 5. cum l. seq. ff. qui pot.*

(e) Duplex & huic concessum est privilegium, [1] ædificium refectum autoritate legis ei obligatum, *l. 1. ff. in quib. caus. [2] Aliis præponitur creditoribus, l. 26. ff. de reb. aut. l. 1. de cess. honor. d. l. 5. cum seq. ff. qui pot.* Ut autem hoc privilegium vires suas habeat, duo conjunctim adesse debent, [1] ut credatur nominatim & expresse in refectioem, [2] Creditum in alium usum non sit conversum, *per alb. l. 5. & 6. ff. qui pot.* quod ultimùm tam per testes, quàm per cõjecturas probatur, *arg. l. 7. pr. de exercit. act. de negatur in super si plus creditum, quàm refectio requirebat. d. l. in fin. pr. quoad summam scilicet excurrentem. Utile namq; per inutile non rectè vitatur. l. 1. §. 5. ff. de V. O. l. 5. §. 2. de don. int. vir. & ux.* dummodò sciens ac non.

G

dece-

deceptus, vel falso persuasus à creditore id fecerit, *d. l. 1. §. 10.* tandem cessat, re, inquam creditum est, extinctâ, *l. 8. pr. quib. mod. pign.* cessante enim ratione, *l. 6. qui pot.* ipsum cessat privilegium. Hic controversitur inter Dd. an hoc in alterius quoq; rei refectione verum sit; an tantum restringendum ad ædificium? & de rigore juris aff. posterius: tum quia, *l. 1. ff. in quib. caus. pign.* expressè de ædium refectione loquitur; tum quod contrarium, nullo textu demonstratur: nisi expressum pignoris pactum forsitan adjectum fuerit, *l. 7. C. qui pot. l. 17. C. de pign.* ob quam rationem *in l. 5. ff. qui pot. & Nov. 97. c. 3.* inter se comparantur.

(f.) [f] Tria concurrant in hoc privilegio necesse est, [1] Expressa pignoris constitutio, [2] facta ante emptio-
nem agri vel alterius rei, (3.) versio in rem, in quam dato-
tum. *d. l. 7. C. qui pot. l. 7. C. d. pign. Nov. 36. c. 3. Sich, ad alleg. l. 7. C. qui pot.*

(g.) (g) Pupillo duobus casibus tacita concessâ hypo-
theca, (1.) si ejus pecuniâ res aliqua empta, non quidem ab ipso tutore, ubi utilis dari vindicatione *Suprà ð. 4. lit. g.* posuimus, sed ab alio, *l. 7. ff. qui pot. l. 3. pr. ff. d. reb. eor.* (2.) In bonis tutoris, *l. 20. C. d. administr. tut.* priori casu, anteriores vincit, *d. l. 7. pr. juncta, l. 5. ff. qui pot.* posteriori ab iis vincitur. *Excellentissimus Dn. D. Ludw. in not. Wesenb. ad tit. qui pot. n. 3.* quod pupilli privilegium Interpretes communiter trahunt ad militem, mulierem, furiosum, Ecclesiam *Auth. Anon. d. prior. cred. c. 2. n. 6.*

(h.) [h.] Quæ cautio diligenter observanda, alioquin ad quartam pertinebunt classem, de qua *infra suo loco.*

VI.

*Tertia classis eorum, qui nudâ hypo-
thecâ niuntur.*

In hac classe ante omnia considerandum, an una eademq; res sit obligata duobus uno & eodem tempore, an diverso; priori casu, illa nobis tenenda regula: Quod pares tempore, pares quoque sint jure. (a) posteriori, altera: Priorem tempore, potioem quoque esse jure. (b.)

[a.] *l. 20. §. 1. d. pign. act. arg. l. 30. ff. d. test. tut. l. 31. ff. d. manumiss. test.* Nisi scilicet unus aliquam præ se ferat præsumtionem, vel possessionem arripuerit: tunc non obtinet illud vulgare, FELICES POSSIDENTES. *l. 10. ff. d. pign. l. 14 d. noxal. act. l. 128. d. R. J.* et hoc est verum, si ab initio id actum, ut utrique res in solidum sit obligata, & quæstio orta inter ipsos hypothecarios, quod si adversus extraneum instituenda actio, singuli in solidum serviant utentur. Cum autem ab initio convenit, ut pro partibus res obligaretur, utilis actio, tam inter ipsos, quam extraneos comperit, per quam dimidiam partis possessionem apprehendant singuli: *d. l. 10. ff. d. pign.* nec non, quando neque solidi, neque partiû, facta mentio, *l. 10 §. 8. d. 1. & l. supra allegata 20 §. 1. d. pign. act.*

[b.] *l. 2. §. 11. 12 ff. qui pot. l. 2. 4. 12. C. eod. l. 98. ff. d. R. J. c. 14. cod. in 6.* prioritatem ex tempore non creditæ pecuniæ; sed constitutæ hypothecæ determinamus, Quamvis igitur obligatio principalis adhuc pendeat,

C 2

vel

vel sub conditione, *l. 11. §. 1. ff. h. t.* non tamen potestativa, *l. 9. §. 1. l. et. pr. ff. h. t.* vel sub die, *l. 12. §. 2. d. r.* Ut & licet posteriori res sit tradita, aut pactum de vendendo pignore adjectum, *d. l. 12. §. f. qui pot.* novatiove obligationis, cum repetitione hypothecæ, interposita, *l. 3. pr. ff. d. r.* prioritati nil quicquam derogatur: quæ tam accuratè attenditur, ut hora quoq; vel minimum temporis spatium in considerationem veniat. *Gail. 2. obs. 25. n. 3.*

VII.

Ultimæ nostræ regulæ videbimus adhuc aliquas ampliaciones, dein ejus quoque restrictiones adjiciemus: Quoad istas, nil interest, pignus conventionale, an prætorium sit, (a) tacitum, an expressum, (b.) generale, an speciale, (c.) privatus tempore prior sit, an Respublica, (d.) & quæ ejusmodi plura occurrunt. (e.)

- (a) (a) *l. 10. ff. qui pot. l. 2. C. eod.* hac occasione inferere lubet, constitui pignus vel à personis, vel lege: à personis iterum vel publicis, vel privatis. Per publicas intelligo magistratus, qui per missionem in possessionem honorum varias ob causas prætorium, sub quo judiciale cõprehendo, *l. 2. C. de prat. pign.* pign^o introducunt. *r. r. C. d. prat. pign. l. 26 ff. d. pign. act.* à privatis cõtrahitur, vel conventionem, tam nudam, *l. 4. ff. d. pign. & hypoth. l. 1. p. ff. d. pign. act.* & hypotheca in specie dicitur, Ac cum à prætore hæc cõventio confirmata sit, pactis adnumeratur prætoriiis; quam vestitâ rei traditione, & pignus propriè appellatur,

tur, interq; contractus refertur reales, *d. l. 1. pr. d. pign. act. §. f. Inst. quib. mod. re.* Vel ultimâ voluntate, *l. 26. pr. d. pignor. act.* à lege quod originem trahit, tacitum seu legale salutatur. *de quo statim.* Illud tamen quod de prætorio pignore supra traditum, ita demum admittitur, si creditores ex causis titulisq; diversis veniant; vel si ex illis, qui ejusdem tituli sunt, unus in actione personali privilegiatus sit, aliàs secus. *l. 5. §. 3. ut in possess. l. 12. pr. d. reb. auth. jud. possid.*

(b) *l. 8. ff. qui pot. l. 2. 4. 8. C. cod. l. 28. ff. d. jur. fisc. l. 2. C. d. priv. fisc.* Malè ergò sentire videtur *Sichard. ad tit. C. in quib. caus. n. 2.* Simpliciter expressas hypothecas tacitis præferens, cum ex adductis legibus satis evincatur, paribus ambulare passibus expressas & tacitas, & trita quoque sit regula, expressi atq; taciti eandem esse virtutem, *Dd. ad. l. 3. ff. d. reb. cred.* quia verò tacitas hypothecas præter casus expressos fingere non licet, Interpretes in colligendis & recensendis iis maximopere sudant. Adeat, qui vult, *Neguz. p. 2. memb. 4. n. 6. seqq. Moz. d. pign. col. d. divis. pign. n. 25. seqq. & col. seq. n. 2. seqq. C. J. A. & Wesenb. in w. ff. in quib. caus. & c.*

(c) *l. 2. ff. l. 6. C. qui pot.* Ubi nil moramur distinctionem aliorum, inter rigorem juris & æquitatem, quâ componere allaborant apparentem pugnam, inter *l. 2. ff. qui pot. & l. 2. C. d. pign.* cum diversitas casuum cuilibet paulò intentius contemplanti facillè occurrat. Non igitur dubitamus ponere, creditorem generalem priorem habentem, habenti specialem præferendum esse, etiam si ex aliis bonis suum consequi possit. *d. l. 2. pr. ff. qui pot.* Quid si verò in quibusdam bonis quis habeat specialem & insuper adjectam generalem, poterit ne, relicta suâ hypothecâ, agere ad quæcunq; bona, sicq; excludere



dere alterum? Videbatur dicendum quod sic *ex l. 8. ff. d. distr. pign.* Sed hoc ex æquitate temperant *Imp. in l. 2. C. de pig.* & speciale pign^o pri^o excutere jubent, *Dn. D. Ludwell in not. Wesenb. ad tit. qui pot. n. 3.* Veniunt autem in generalem hypothecam omnia bona, præsentia & futura, licet de his nil dictum vel cautum. *l. f. C. que res pign. jura quoq;* actiones *l. 49. ff. de V. S. arg. l. 15. de R. J. nomina l. 4. C. que res pign.* non tamen ea, quæ quis verisimiliter obligaturus specialiter non præsumitur; *l. 6. cum seqq. ibiq. Goth. ff. de pign.* quod referuntur, quæ ad agricultura sunt necessaria, *l. 7. 8. & auth. sq. C. que res pign.* Item arma militaria, libri studiosorū, de quib^o consule *Cöler. de process. Exec. p. 2. c. 3. n. 126. sqq.* ratione rerum feudaliū, nullum suboritur dubium *ob c. Imp. 2. f. 52. & c. Imp. 2. F. 55.* ut & sacrarum, & aliarum specialem oppignorationem respicientium, quas enumerat & explicat cum *Wesenb. in w. C. J. A. tit. ff. que respign.*

- (d) *l. 4. C. qui pot. l. 3. C. de remiss. pign.* idem est si Respublica & fiscus concurrant, *l. 8. ff. qui pot. vel fiscus & privatus. d. l. 8. ff. qui pot. l. 22. §. 1. de jur. fisc.*
- (e) veluti sunt; utrum prior agat, excipiat, replicet, *l. 12. pr. qui pot.* utrum à Domino, an non domino, publicianam tamen habente, pignus constitutum, *l. 14. qui pot. juncta l. 18. de pign. & c.* quod valeat tam in sorte, quam usuris, *l. 18. l. 20. ff. qui pot.* accessorium enim sequitur naturam sui principalis, *c. 42. de R. J. in 6. Myns. 1. obs. 59. in princ.* Usuras autem intelligimus licitas atque concessas: Quamvis etiam illicitæ contractui licito adjectæ, hypothecam & ex eo oriundam prioritatem nõ vitiant aut tollunt, *secundum Gail. 2. obs. 5. n. 12.*

VIII.

Restrictiones quod attinet, Regula vires sæpius amittit: E. G. Si prior in oppignorationem secundo factam consenserit, (a) Si posterior priori suum solverit, obtulerit, obsignatum deposuerit, (b) Si secundus præscriptione 30. vel 40. annorum munitus sit, (c) Si prior per mendacium rem debitoris esse negaverit, (d) Si prior habeat instrumentum privatum, posterior publicum, (e) Si duo à diversis non dominis pignus consecuti, (f) Et aliis casibus pluribus. (g)

(a) *l. 12. §. 4. ff. qui pot. ubi acris est disputatio, an in dubio jus pignoris ipsum; an prioritatis tantum remissum credendum sit? Posterius affirm. cum gl. ad l. 12. ff. quib. mod. pign. cum ejusmodi remissiones & renunciationes sint stricti juris, & sic interpretandæ, ut renunciandi, ac remittenti minus obliant: arg. l. 80. pr. ff. de solut. neq; aliud hic actum videatur, quam ut prior posteriori cedat, hicq; ejus subintret locum, cui actui omnino standum, l. 34. de R. J. Carpz p. 1. constit. 28. defn. 131.*

(b) *l. 11. §. ult. ff. qui pot. l. 1, 5. §. C. eod. justo quidem tempore, l. 7. §. 3. de præscript. 30. vel 40. ann. & hoc concessum est, non tantum hypothecariis; dd, ll, sed Chirographariis quoq; imò planè extraneis. rot. tit. C. de his qui in prior. verum certa distinctio adhibenda; Hypothecarii eo ipso dum offerunt, solvunt, vel depouunt*

nunt, priorum locum nanciscuntur, *l. ult. C. de his, qui in prior. d. l. 1. ff. l. 5. C. qui pot.* Chirographarii autem & extranei non aliter, quam si (1) pecuniam creditores reipsa acceperint, *l. 3. C. de his.* (2) Si expressè conventum, vel cum creditore, ut in ipsius locum cum omni jure substituuntur, vel cum debitore, ut pecunia priori soluta pignus ad se transferatur, *l. 1. C. de his qui in prior. l. 3. ff. que res pign.* quamvis autem deficiente secundo requisito, non succedatur in jus pignoris, succeditur tamen in jura personalia, *l. 10. §. 1. l. 16. ff. que in fr. & privilegia, si ad privilegiarium pecunia pervenit. l. 24. §. 3. de reb. auct. l. 2. ff. de cess. bon.* In fili locū ascendere satagens, jus fisci autoritate judicis competentis in se transcribi curabit, *l. 3. l. ult. C. de priv. fisc. Pac. in anal. C. tit. de his qui in prior.* Hactenus dicta tam in sorte, quam usuris procedere certum. *l. 12. §. 6. ff. qui pot.*

(c.) (c) *l. 7. §. 2. C. de prescript. 30. vel 40. ann.*

(d.) (d) Possessionis privatio poena statuta huic mendacio: *Nov. 18. c. 10. auct. Item possess. C. qui pot.* quemadmodum & alias in jure mendacii poenas legere est, *§. 10. Inst. de suspect. iur. l. 2. §. 1. l. 23. §. 0. ff. ad L. Aquil.* plura exempla congessit *gl. ad l. 43. ff. de R. J.*

(e) (e) *l. 11. C. qui pot.* rationem in eo ponunt, quod privata scriptura regulariter contra, & non pro scribente probet. *l. 26. §. ult. depof. l. 13. C. d. non num. pec. l. 6. & c. C. de probat.* & ni hoc ita, fenestra astutioribus aperiretur, committendi fraudem in tempore contractus iniri, sibi nempe pro lubitu & suo usu illud fingendi. Limitatur istud in privata scriptura, roborata subscriptione trium aut plurium testium, quæ istam fraudis & doli suspensionem tollit, *d. l. 11. C. qui pot.* vel etiam si absque scriptura prioritas temporis testibus ostendi possit; cum.

cum non minorem fidem faciant testes, quam instrumentum publicū. *l. 15. C. d. fid. Instrum Gail. 2. Obs. 25. n. 9. & 10.*

(f.) Ubi possessor prævalet. *l. 14. ff. qui pot.* (f)

(g.) *Neguz. p. 5. membr. 2. n. 15. seqq. 20. fallentias recenset; plures Moz. 2. d. pign. & hypoth. col. d. natural. pign. n. 35. seqq.* sed istis omisissis styllum ad quartam classẽ creditorum vertimus.

IX.

Quarta Classis eorum, qui solo privilegio personali muniti sunt.

Hac classe collocantur: (a.) qui impensas repetit in funus factas, (b) Res publica creditrix, (c.) Deponens re non amplius extante, (d.) Qui pecunias mutuò dedit ad res emendas, reficiendas, sibi de expressa hypotheca non cavens, (e.) Pupilli in bonis administratorum, (f.) & alii. (g)

(a) Horum privilegiatorum alii longum componunt catalogū, sed satis confusè. Observandum namq; est, quosdam istorum privilegium cum hypotheca conjunctum habere; ut mulier ratione dotis, fiscus & similes, de quibus cum in antecedentibus satis proluxa instituta sit tractatio, hìc nolumus quicquam repetere, ne audiamus illud: Crambe bis cocta: Quosdam solo gaudere privilegio absq; hypotheca, quorum aliquos adjicere, ordo instituti postulat.

(b) Impensæ funerales, non obstante, eas omni (b)
D carere

carere hypothecâ, tam Chirographariis, quàm hypothecariis, tacitis, l. 14 §. 1 ff. de relig. & sumpt. fun. expressis, l. 45. ff. d. l. junct. l. 13. C. mand. l. 23. ff. de S. P. V. l. 18. cum seq. ff. de relig. junct. l. 14. §. 3. de divers. & temp. præscript. l. ult. §. 9. C. de jur. delib. §. f. Inst. ad L. Falcid. l. 1. §. f. ff. eod. præponuntur. Quod fundatum in publica utilitate, ne cadavera insepulta jacerent, l. 43. ff. de relig. & eod. plures ad sepeliendum allicerentur; dum non solum repetitio impensarum concessa, l. 12 §. 2. d. r. sed insuper tam largum circa istam privilegium, d. l. 45 & c. d. r. Hâc ratione quoq; meti imp. pœnas constituerunt gravissimas in eos, qui ob æs alienum sepulturam inhibere, cadaver nefario ausu arestare præsumerent l. f. cum auth. seqq. C. de sepulchr. viol. N. 60. c. 1. [ubi in pr. elegantissima additur ratio, his verbis: Qui enim hominis naturam non erubuit, dignus est, & pecuniis, & gloriâ, & aliis omnibus condemnari] N. 15. c. 5. Sumptuum autem funebrium nomine intelligitur quicquid consumptum est corporis causa, antequam sepeliretur l. 37. ff. de relig. & sumpt. fun. Hisce annectuntur impensæ (1) in curationem, (2) ipsius, (3) mortui, (4) bonâ fide ac non superflue factæ: Uti sunt pretia medicamentorû, salaria medicorum &c. l. 4 C. d. petit hered. l. 3. C. de relig. & sumpt. fun. præterea ad repetitionem funeralium impensarum requiritur, (1) ut factæ sint animo repetendi, non affectionis aut pietatis gratiâ, l. 14. §. 7. ff. d. r. (2) ut liquidentur atq; probentur, d. l. 3. C. eod. l. 4. C. de petit. hered. vel per testes, vel verisimiles conjecturas, vel deniq; per juramentum Bl. ad d. l. 4. & gl. ad l. ult. §. 9. C. de jur. delib. Carpz. d. p. 1. const. 28. def. 42. inf. tandem subjungi possunt impensæ, pendente concursu, in utilitatē omnium creditorum erogatæ, l. 8. ff. de pos. quivis enim actus

actus pro utilitate communi susceptus, communibus
sumptibus quoq; expediendus est; l. 4. §. 1. *fin. regund. ve-*
luti ad conservationem bonorum debitoris, ad descri-
ptionem, æstimationem, distractionem, inventarii cõ-
fectionem &c. l. uli. §. 9. C. de jur. delib. Benth. l. 1. c. 25. & 32.

(c) l. 38 §. 1. ff. de reb. auct. non Romana tantum, (c)
sed quævis alia, etiam alterius Imperio subiecta *Wesemb.*
in w. ff. de priv. cred. n. s. ibiq; Excellentiss. Dn. D. Lud. in not.

(d) l. 24. §. 2. ff. de reb. auct.

(e) l. 24. §. 1. l. 26. l. 34. ff. de reb. auct.

(f) l. 23. d. 1.

(g) Huo referunt Dd. & Interpretes etiam Pro- (g)
fessores, Advocatos, ratione salariorum, Scholares ra-
tione debitorum ad studia, pias causas, alimenta, mer-
cedem famulorum, &c. sed absq; LL. autoritate. Mer-
ces sanè famulorum singulariter jure divino privilegi-
ata. *Lev. 19. vers. 13. Deut. 24. vers. 14. & 15. Jacob. 5. vers. 4.*
1. Timoth. 5. vers. 18.

X.

Quinta classis simplicium Chirogra- phariorum.

Quinta & ultima classis (a) assignatur re-
liquis creditoribus omnibus, qui vel nuda
tantum habent chirographa; vel chirogra-
phis quidem sunt destituti, interim tamen
sua debita per confessionem debitoris, vel al-
lium modum probare possunt. (b)

(a) Creditoribus omnibus dimissis, tandem vo- (a)

D 2

can-

cantur Chirographarii nudi & simplices, qui neq; de reali, neq; personali privilegio gloriari valent, ex quo ipso manifestum evadit, rarissime quid ad eos ex bonis debitoris obæratî pervenire. Quod verum esse nota in unius debitoris creditoribus, secus verò se rem habere in concursu plurium creditorum, diversorum debitorum, v. g. defuncti & heredis, hoc casu, istius creditores, etiã tm. Chirographarii, per separationis remediũ, heredis creditorib⁹ tam privilegiariis, quàm hypothecariis præferuntur: in rebus scil. hereditariis, l. 1. §. 1. ff. de separ. de quo remedio agit Wesenb. in x. d. t. Occurrit insuper & alia separationis species, inter unius & ejusdem debitoris creditores: pone, debitorem duas negotiationes exercuisse, sagariam & linteariam, & separatim quoad istas esse creditores: hi certè confundendi non sunt, sed separatim vocandi ad illam negotiationem, ad quam mutuarunt. l. 5. §. 15. de tribut. act. pone iterum, unum ejusdem negotiationis habuisse duas tabernas, Norimbergæ unam, alteram Argentorati: Hoc quoq; casu, creditores Norimbergenses in bonis quæ Norimbergæ possidet, Argentoratenses in iis quæ Argentorati, audiendi sunt, l. 5. §. 16. ff. de tribut. act. per rationes in ipsis textibus allegatas. Straccha d. decoct. p. ult. n. 20. seqq.

(b)

(b) Scriptura ad obligationum essentiam regulariter necessaria non est, sed facilioris probationis gratiã à contrahentibus adhibetur. l. 4. ff. de pign. l. 12. C. d. prob. l. 4. ff. de fid. instrum.

XI.

De regulis in qualibet classe observandis.

Regu-

Regula I. Classis.

Omnibus priores sunt, & in re sua quilibet potior. *vid. supr. th. 1. lit. c. & th. 2. lit. a.*

Regulæ II. Classis.

I. Quoties concurrunt cum hypothecariis nudis, ut & privilegiatis, omnes vincunt.

Excepto eo, qui in funus credit, de quo supra suo loco. Ratio regulæ peti potest *ex th. 2. lit. b. in fin.*

II. Quoties hypothecarii privilegiati inter se concurrunt, æquale jus habent, & pro rata dividunt. Cum privilegiatus contra privilegiatum, suo non utatur privilegio, *l. 11. §. penult. ff. de minor.* nisi (1) vel prioritas temporis discrimen inter ipsos constituat: Tunc enim recurritur ad vulgare illam regulam, qui prior est tempore, potior est jure, vel (2) Specialiter de aliquo doceatur, quod sit præponendus. Sic inter fiscum & mulierem regulariter prioritas temporis inspicitur, *l. 2. C. de priv. fisci* in causa v. primipilari, fisci jus præponderat, *l. 4. C. in quib. caus. pign. l. 3. C. de primipil.* in dubio quoque quando non constat de prioritate temporis, mulieri prærogativam largiuntur, cum magis Reipubl. interesse videatur, mulieribus dotem suas conservari, quam fisco debitum solvi. *l. 1. ff. solut. mat.* sic in *Nov. 97. c. 3.* ob prioritatem temporis uxori alii cedunt, *c. 4.* ob specialem rationem ipsa cedere cogitur.



Regulæ III. Classis.

I. Concurrentes cum Chirographariis s. privilegiariis, s. simplicib⁹, eos post se relinquunt
Ratio supra in th. 2. lit. b.

II. Concurrentes inter se, pares tempore pares jure. *de qua th. 6. lit. a.*

III. Prior tempore, potior jure *de qua th. 6. lit. b.*
& duabus thesibus seqq.

Regulæ IV. Classis.

I. Si concurrunt cum chirographariis nudis, excludunt etiam tempore anteriores.
Rat. supr. in th. 2. lit. b.

II. Si verò inter se, tunc, siquidem sunt tituli ejusdem, h. e. eandem causam debiti prætendunt, regulariter concurrunt, nullâ inspectâ prioritate vel posterioritate temporis: *l. 32. ff. de reb. auct.* quando autem diversorū sunt titulorum, iterum quorū privilegia sunt paria, æqualiter admittuntur: Cum privilegiat⁹ contra privilegiatum & c. Sin inæqualia & varia, magis privilegiati præferuntur, *d. l. 24. §. 2. ff. de reb. auct. Dyn. in c. qui prior. 54. de R. 7. in 6.*

Regulæ V. Classis.

I. Creditoribus omnibus postponuntur.
per notata supr. th. 10.

II. Inter

II. Inter se, pro rata debiti quantitate, non attentâ temporis diversitate, concurrunt. *l. 6. ibiq. Bl. C. de bon. auct. l. 5. §. 17. ff. de tribut. act. quæ divisio, communi Dd. calculo, secundum proportionem Geometricâ, non Arithmeticam instituenda, aliàs certè maxima intruderetur inæqualitas, uno debitore solidum, altero vix dimidium accipiente: nec quicquã interesse putamus, si ve inter se tantum cives, si ve cum illis peregrini concurrant, nisi statutis locorum, vel inveteratâ consuetudine aliud receptum esse probari possit.*

Coronidis loco, duas quæstiones ad hanc materiam pertinentes subjiciemus.

Q. I. An quod majori creditorum parti, circa solutionis remissionem placuerit, reliqui etiam ratum habere cogantur?

Respond. quod sic. *l. 7. §. fin. cum l. seq. ff. d. pact. l. 160. §. 1. de R. J. l. 19. ff. ad municip. Si scilicet (1) non adsint hypothecarii, l. 10. ff. de pact. quibus chirographarii pactione suâ præjudicare nequeunt, imò nec major pars hypothecariorum minori, si habuerit hypothecas anteriores juxta Stracch. d. decoct. p. 6. n. 13. seqq. (2) Si omnes citati fuerint, l. 58. §. 1. mand. cum ad unum quemq; actum citandi sint omnes, quorum interest. l. 47. ff. de re jud. l. 39. ff. de adopt. de qua regula laciùs disserit Myns. c. obs. 6.*

II. An uni creditorum solutum, ab altero possit revocari? N. modò (1) Creditores sint ejusdem

dem conditionis, pariq; gaudeant jure, (2) bona debitoris nondum possessa, (3) neq; per gratificationem, neq; violentam extortionem solutio facta. l. 19. ff. de re jud. l. 6. §. 2. de reb. auct. l. 6. §. 7. l. 24. ff. que in fraud. cred. Reliqua ad hanc quæstionem pertinentia petantur ex Berlichio part. 1. concl. 71. & multis seqq. perquam eleganter atq; enucleatè istam tractante.

Et hæc sunt, quæ de nobilissima, sed intricatissima prioritatis materia conscribere, ingenii tenuitas concessit, desiderantem plura, remitto ad absolutissimos tractatus Benedicti Carpovii, Matth. Berlichii, Christophor. Philippi Richters/ Amator. Rodriquez & aliorum hinc inde in disp. hac allegatorum Authorum, quos, tanquam ductores atq; Doctores secutus sum.

— (O) —

Tibi æterna Tri-Unitas
fit
Laus, Honor, Gloria
In sempiterna secula.

Altdorf, Diss., 1637-55


ULB Halle 3
004 327 330




f
sb.

1017







ber.
a ju-
icio-
ac fi
ff. de
.i. ff.
dici-
m a-
alia-
.Sri-
ff. &
rischo.
ondi-
dem-
rere-
i non
utati-
quis-
ert.

E,

Quod Deus benè vertat!
DISPUTATIO INAVGVRALIS
De
PRIORITATE
CREDITORUM

14
s. 65
M

Quam
PRÆSIDE DEO Ter Opt: Max:

1651

2

46

Ex
Decreto & autoritate

Nobilissimi atque Amplissimi Fctor. Ordinis in
celeberrima Noricorum Universitate
Altdorphina.

Summos in utroque Jure honores & Privilegia Doctoralia promeriturus

Publicè & solemniter examinanda proponit

LAURENTIUS FRIDERICUS Crebel / Gunzenhus. Fc.

Ad diem 4. Novembris.

Anno M. DCLl.

Typis Georgii Hagen, Universitatis Typographi.

